

1570) **1292, 7 Apr.** Brunae.

Budsca cum filio suo Witigone de Luscha fratribus militiae Templi in Cheycouicz uillam Schonstraze vendit. — Not. ec, „quod — fr. Ecchoni, commendatori et cruciferis de Cheycouicz uillam nostram Schonstraze vendidimus pro CLV marcis puri arg. cum iuribus et adtinenciis vniuersis — promittentes eidem Ecchoni — ipsam uillam iuxta terre consuetudinem ante amicos nostros seu impetitores quoslibet libertare. Si autem hanc libertatem efficere non possemus, — ab hoc impedimento predictis cruciferis uillam nostram Pyrboums cum adtinenciis obligamus, ut ad ipsos tamquam ad proprios possessores pertineat, quoad usque de dampno, si quod eos habere ex prefata empicione contingeret, per nos fuerint finaliter expediti.“ — Sigilla d. Tazzonis de Tazzenberch, d. Budwoy de Jechneez, d. Phillippi de Pernstein, camerarii Morauie, et fr. sui d. Bohuzlai, d. Odoleni de Vzpechs, d. Hartlebi de

Dubna, et d. Stephani de Medlov. — Dat. et act. Brune a. d. MCC.XCII^o, VII idus Apr. indict. V.

Ex orig. in arch. M. prior. Melit. Boczek IV, 387.

1409) **1287, 13 Maji.** Pragae.

A. d. M^o.CC^o.LXXX^oVII^o, proxima feria III^a ante ascensionem domini in rogacionibus d. Hogerus, tunc summus camerarius regni Boemie, dictus de Lompnice protestatus est coram W. dei gracia domino et herede regni Boemorum ec, in palacio Pragensi predicti domini et heredis coram B. summo iudice, R. notario regni Boemie, ceterisque beneficiariis Prag. quia uendidit dotem vxoris sue Ztrezce ea consenciente, ut in registro plenius continetur, uidelicet uillam *Prezkacz* et uillam *Chinow* cum omni usufructu ad eas pertinente, uidelicet pratis, pascuis, riuis, molendinis, ortis, pomeriis, piscacionibus, pro CC marcis arg. puri iure hereditario possidere uen. patri d. Theodrico abbati et conuentui suo de Waltshax, de quibus se iam C. marcas recepisse recognouit, alias uero C. marcas predictus abbas et conuentus in octauo b. Wenczelai proxime uenturo se persoluere plenarie obligarunt, et predictus H. predictas uillas eodem die debet secundum consuetudinem terre circuire, et easdem uillas a quolibet inpeditore, siue affini uel non affini, per triennium secundum ius terre emendare. Sin autem sepredictum H. medio tempore decedere contingeret, omnes conditiones interpositas filius eius Zmil se consummare obligauit coram predicto d. W. — domino et herede regni

Boemorum, — B. summo iudice, R. notario regni Boemorum, ceterisque beneficiariis Prag. Et hec omnes ex utraque parte uiua uoce registro omnia inseri mandauerunt.

Ex orig. arch. reg. Monac. cop. in Mus. Boh. — Emler, Reliquiae tab. t. I, 3.

1622) 1293, 28 Jun. In Podiebrad.

Nos Wenczeslaus, rex Boemiae ꝛc, not. ꝛc, „quod nos iudicium ciuitatis nostre in *Neuburga* cum vna domo in eadem ciuitate, molendino super *Albea* sito apud ipsam ciuitatem, duobus laneis liberis in villa *Vzk* et piscacionibus in aqua *Merlina* et aliis iuribus rite ad id iudicium spectantibus ad nos — deuolutum Ortlibo de Rozmital pro CCXX marcis puri arg. et vno vase vini latini vendidimus. . . . De euiccionem molendini ipsius, si quis eundem Ortlibum vel heredes suos in iudicio uel extra impetierit, eidem Ortlibo et suis heredibus sit cauendum, quod non ipsum Ortlibum vel heredes suos, sed nos vel heredes nostros inpeti uoluissent et requiri, et quod ipse Ortlibus et heredes sui non teneantur alicui idem molendinum — repetenti in aliquo iudicio respondere. Et si qui ius in molendino ipso ostenderit uel probauerint se habere, illud nos — pro ipso Ortlibo et suis heredibus promittimus compensare et eis satisfacere pro eodem. Adicientes eciam, quod si eundem Ortlibum mori contigerit filiis legitimis non relictis, fratres sui et heredes ipsorum eidem succedere debeant in iudicio prenotato.“ — Dat. in Podiebrad per manus mag. Petri, prothonotarii regni nostri, a. d. MCCXC (tercio), quarto kal. Iulii, VI indice.

E cop. sec. XIV exeun. ap. d. Med. Drem. Dlabáč Nimburgae asservata.

2739) 1291, 22 Dec. Pragae.

„Nos Bohuslaus de Budzieticz et Zwoyse de Vzduun fratres pro Borzizlao de Hozstuna et Dobrohostone et Sdezlao filiis eius nec non Newhlazzone fratrueli ipsius Borzizlai domino . . . preposito *Chotessouicensi* et ecclesie sue promisimus et caucionem fideiussoriam prestitimus super eo, quod Borzizlaus et filii ac fratruelis ipsius predicti dominum prepositum et ecclesiam *Chotessouicensem* prefatam in possessione ville *Muczinin*, quam idem Borzizlaus pro ducentis et quinquaginta marcis argenti pignore obligauit eidem preposito et ecclesie, vsque ad percepcionem dicte pecunie non debeant impedire nec per se vel alios procurare impediri vel offendi quomodolibet in eadem. Quodsi prepositus vel ecclesia supradicta per eos aut aliquem ex ipsis aut eorum procuracione probabili impedimentum aliquod paciatur, nos ei pro dampnis huiusmodi siue paruis siue magnis tenebimur et promittimus respondere testimonio huius scripti.“ — Dat. Prage a. d. MCCXCI^o, XI kal. Ianuarii, indictione quinta. Testes: Wilhelmus, Brethizlaus et Protiua filii Theobaldi, Beneda de Zweyessin, Vlricus de Gern, Przedota de Nechstin, Dobrohost de Melnicz, Protiua de Trziebel, Bohusse de Zwirnsna, Albertus de Wyscow et alii quam plures.

Ex orig. bibl. c. r. univ. Prag.

CDB V.2, č. 855

Ego Borso testimonio presentis scripti promitto et volo, quod, si ego monasterio in Ozzech centum || decem marcas non solvero, ita quod medietatem eiusdem pecunie in media XL^a et alteram partem || Phylippi et Iacobi² non dederò, abbas et fratres villam meam Strimuz et partem ville alterius, que || Bsas^h nomine uocata^h est, vendant, ut a fideiussione, qua pro me in Vriberg obligati sunt, absoluantur. Si uero me mori uel capi contigerit, quod absit, sit in eorum optione eadem predia uel uendere uel ecclesie sue perpetuo retinere. Testes huius facti mei sunt: Iares^c de Waldenberg, Witus de Belusic, Bohuzlaus de Zahore, Nicholaus filius auunculi eorum, Stephanus,^d Wintherus, Hodata, Elyas, Heyricus de Iurkow, Zlonran de Cremis, Radata, Iacub, Predzlau de Solan, Pribizlaus de Thuhoric.

Ego Wladizlavs, dei gratia rex Boemorum, notum facio cunctis fidelibus presentibus et futuris, quod a primis principatus mei temporibus semper || in voto habui Iherosolimam ire atque sepulchrum dominicum et alia loca sancta videre. Quod et adimplere volui, quando cum^a imperatore Conrado || in expeditione contra paganos processeram.¹ Sed cum peccatis exigentibus, nescio quo dei iudicio, proposita perficere prohiberer, ad propria reversus,² vo||tum exsolvere atque Iherosolimam ire ibique aliquantisper moram facere rursus magis ac magis accendor. Quod cum Ramundo,³ tunc temporis magistro hospitalis Iherusalem, ceterisque fratribus eius innotuisset, statim claves,^b quod vocatur Crat⁴ et est in confinio paganorum situm, per fratrem Benedictum mihi miserunt, ipsum castrum cum omnibus suis pertinentiis absolute mihi meisque sociis ad nobis serviendum offerentes, quamdiucunque in terra illa manere vellemus. Quorum devotionem ac liberalitatem gratissimam ducens simulque perpendens, quanta in predicto hospitali humanitatis obsequia impenderentur omnibus sepulchri dominici visitoribus, sed precipue, ut ex multorum relatione didiceram, pauperibus et infirmis, placuit mihi

tantorum bonorum esse cooperatorem, ut postmodum etiam aliquid exinde mercedis expectarem. Divino igitur actus instinctu ob remissionem peccatorum meorum et pro salute uxoris meę ac liberorum meorum, sed et pro anima patris mei et matris meę et omnium predecessorum meorum predicto hospitali sancti Iohannis Iherusalem ad sustentamentum pauperum et infirmorum promisi et assignavi
 5 quasdam villas meas, quas vel pecunia mea iuste emi vel iustis cambitionibus mutuavi vel aliis iustis modis secundum iudicium nobilium seniorum Boemię legitime acquisivi, ut inde aliquod subsidium habere possent, donec divina favente gratia ego ipse presens aliquid superaddere possem. Et heę sunt vilłę, quas dedi
 10 et fratribus predicti hospitalis Iherusalem assignavi: Quatuor videlicet in circuitione iuxta Plaz,⁵ scilicet Hodoviz,⁶ Ozoyni,⁷ Plane,⁸ Cuhov.⁹ Preterea addo et confirmo possessionem eidem domui hospitalis, quam pater meus dux^c Wladizlaus contulerat meis cognatis Wratizlao et Micus, sed eisdem brevi tempore raptis de medio, quę iterum in usum meum cesserat, Manetin¹⁰ a meta Necstinensi¹¹ usque ad
 15 metam Plazensium cum omnibus suis pertinentiis, videlicet Lipe,¹² Kuhov⁹ cum foro, Wescu¹³ cum fluvio Manetin iacente usque ad Plaz, liberalitatem omnimodam quidlibet faciendi sive piscandi sive molendina ponendi in eodem fluvio eis concedentes. Silvam quoque nomine Cozodre et alias silvas circumiacentes iure legitimo do et confirmo perpetuo possidendas. Do etiam et confirmo duas villas
 20 in provintia Belinensi dictas Borizlaue¹⁴ et Hribovici,¹⁵ quę coronę meę adiacebant. Ad petitionem autem fratris mei Heinrichi addo eis villam nomine Leuin¹⁶ et silvam quandam usibus ipsorum necessariam iuxta Olesnicę protendentem in medium montem Hvogen¹⁷ ad fluvium, qui dicitur Lubuhcę,¹⁸ et ad villam Camic¹⁹ et ad^d Procetin,²⁰ deinde usque ad Tesik²¹ et tunc ad Rufum puteum, et sic iacentem
 25 usque ad dictum fluvium Lubuhcę, ubi sumpsit inicium. Testes, qui affuerunt et audierunt donationem et confirmationem supradictarum possessionum, hii sunt: Iudita regina, uxor mea, Fridricus episcopus Pragensis, Heinrichus abbas de Breunov,

Labertus^e abbas de Cladorub, Meinherus abbas de Plaz, Olricus prepositus Pragensis, Paulus decanus, Geruasius cancellarius et prepositus Wisegradensis, Martinus prepositus Lutomericensis, Florianus subcancellarius, Bohuslaus camerarius, Groznata castellanus de Cladzco, Sdezlaus pincerna, Vitko dapifer, Bleh de Trebusen, Bohuse barbatus et frater eius Ratibor, Cstibor de His, Smil de Vdrche, Morek venator de Belsk et alii quam plures. Actum est hoc anno incarnationis domini M̄CLXIX̄, anno autem mei principatus XXX̄, regni vero mei XĪ, episcopatus autem domini Fridrici Pragensis anno Ī.

5 Universis Christi fidelibus tam presentis temporis quam futuris Zmilo, dei gracia
 miles de Luchtenburgk,^a salutem in omnium salvatore. Quoniam brevis ac
 labilis est hominum maxime moderni temporis memoria, ideo rite ac legitime gesta
 scripturarum apicibus digne sunt memorie commendanda, ne temporis diurnitate
 oblivioni tradita a memoria labantur et sic quasi non facta reputentur et in nihilum
 10 redigantur. Eapropter tam modernorum quam futurorum hominum memorie^b presenti
 pagina volumus perpetuo commendare, quod nos monasterio sancte Marie, quod
 Cella dicitur, Cisterciensis ordinis, Misnensis diocesis, nec non abbati et conventui
 eiusdem loci, qui pro tempore tunc ibidem Domino serviebant, rite ac legitime vendi-
 dimus et presenti charta vendita declaramus bona et proprietatem nostram, villam
 15 scilicet, que dicitur Loborsiz sive^c Loworsiz sive Lewrsiz^e, in regno Bohemie sitam^d
 super ripam fluminis, quod dicitur Albea, sive Elbe vulgariter appellatur, iuxta oppi-
 dum sive civitatem, que dicitur Luthomaritz, infra dimidiam leugam sive dimidium
 miliare, pro noningentis marcis argenti examinati, puri, boni et legalis, Pragensis
 civitatis statere pondere ponderati. Quam pecuniam recognoscimus in eadem villa
 20 vendita nobis a predictis viris plene et integre persolutam prefateque ville possessionem
 et dominium prefato monasterio abbatique et eius conventui a nobis nostrisque
 heredibus tradita et donata cum omnibus iuribus corporalibus et incorporalibus ad
 prefatam villam pertinentibus nec non universis ceteris predictae ville attinenciis seu
 pertinenciis, terris cultis et incultis, pratis, pascuis, viis et inviis, nemoribus ac vinetis,
 25 vallibus et montanis, rupibus et rubetis, aquis aquarumque decursibus, navigiis at-
 que vadis, piscariis ac ceteris aquarum usibus, ripis quoque ac littoribus ex utraque
 parte fluminis, insulis quoque in flumine natis nec non ceteris nunc apparentibus vel
 in posterum revelandis iusto empcionis titulo possidenda. Ut autem prefata nostra
 vendicio et predicti monasterii empcio perpetui vigoris robore fulciantur, eas lege et
 30 consuetudine regni Boemie hincinde communiter fecimus approbari, que lex et con-
 suetudo circumequitacio dicitur, sive ummerithunge Teutonice, sive obyezda Boemice
 appellatur. Ut hec eadem consuetudo tam legitime empcionis ac facte donacionis et
 tradite possessionis sit evidentissimum argumentum, promittimus insuper bona fide
 ac perpetuo obligamus tam nos quam heredes nostros, quod contra predictos empcio-
 35 nis et vendicionis contractus minime veniemus. Horum omnium legitime perfectorum
 testes sunt inferius subnotati: Everhardus abbas monasterii predicti, Martinus de
 Budissin, Cunradus de Budissin, Hermannus de Bocha monachi eiusdem loci; Cunra-
 dus de Vliz, Henricus de Mylyn conversi ibidem; Scazlaus de Duban advocatus,
 Schepan de Benesiz et Paulick frater eius de Sulwiz et Petrus de Wildens in, Leo de

Medewedicsh et frater eius Droyzlawe, Wilko de Lubochowani, Psedizlawe, Otto de Zobyzyn, Genys de Choremy et Petracsh fratres, Scachebur et Petrus frater eius de Merzesyz, Boyrzlaus de Radozyz, Dyrzlawe de Cazizlawe et Leo frater eius, Martinus et frater eius Henricus de Sichowe, Prothewyz de Lubirswitz omnes isti milites; cives autem et mercatores: Henningus Magnus de Luthmaritz, Anshelmus, Hertelinus, Cunradus de Sandowe et frater eius Cunradus, Petrus de Popisze et Martinus, Herbertus frater Henningi, Cunradus de Pershen, Anthonius de Luthmariz et alii quam plures fide digni. Ad perpetuam igitur memoriam omnium prefatorum presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Datum Loworsiz anno gracia millesimo ducentesimo quinquagesimo primo, nono kalendas septembris. 1